

magna ex parte inde proveniat, quod nulli hodie creari soleant Doctores Canonum seu Decretorum, nisi una & Legum Doctores creentur; paucique Juris Canonici aut Decretorum dumtaxat Licentiatum fiant.

Cum enim legum studium ad forenses controversias, judiciumque terminanda penè unice spectet, facile contingit, ut etiam studium Canonum eo conferant.

VIII. Ut ergo verum, ac Ecclesiae utilis Canonum studium amplius floreret, optandum esset, ut non tantum Licentiatum, sed & Doctores crearentur, qui unice se Canonum studio occuparent; verumque sensum è suis fontibus eruerent; quemadmodum in ipsis Universitatibus nostrae florentibus exordis frequens fuisse ipsi Facti Academici abundè testantur, in quibus referuntur plurimi folius Juris Canonici seu Decretorum Doctores.

IX. Haec sat ostendunt, qua ratione Graduatus in Jure Canonico, si scientia Sacrorum Canonum qui veram Ecclesiae disciplinam, quæ & Patrum mores atque repræsentant, sit debite instructus, quemadmodum publicum Academicum testimonium sive Gradus præfert, possit una cum Graduato Theologo Episcopis in administratione Ecclesiae esse admodum idoneus.

Adhæc, quis ultra mirabitur, si ad præcipuas Ecclesiae Dignitates ac Munia vocentur indifferenter Graduati in Jure Canonico & Theologia, qui attendit, Sacros Canones esse conclusiones è Libris Canonici & Sanctis Patribus elicitas; ac per consequens peritum SS. Canonum etiam Sacrarum Litterarum ac Patrum non posse esse ignarum; è quorum lectione etiam Theologus suam haurire debet scientiam.

Sicuti enim Canonice nomen non meretur, saltem ut ad Ecclesiastica munia assumatur, iis Canonibus tantum instructus, qui ad forenses quaestiones, judiciumque terminanda conducunt, ita nec Theologi nomine dignus est, qui scientiam suam è Sacris Litteris & Patribus non hausit.

CAPUT III.

De Graduatis Nobilibus.

- 1 An probanda consuetudo Capellanorum nullos admittendi nisi Nobiles?
- 2 In electione ad munia Ecclesiastica magis attendenda virtutum quam generis nobilitas.
- 3 Potest tamen quandoque generis nobilitas attendi.
- 4 Hac debet attendi cum respectu ad bonum Ecclesiae.
- 5 Nobilitas potest conferre ut quis magis proficiat Ecclesiae.
- 6 Quid Nobilibus Canonici præ reliquis incumbat.
- 7 Nobiles etiam gradu Academico insigniti esse debent.
- 8 Gradus Academici magna cautione concedendi.

Nonnulla sunt Canoniorum Collegia, in quibus invaluit consuetudo, quam etiam nonnumquam ex ipsa fundatione originem habere asserunt, ut nullos ad suum gremium admittant, nisi suam nobilitatem legitimum testimonium alluerint; contra quam referente Molano lib. 2. De Canonici. c. 29. prolixè scribit Guilielmus Perardus, acriter reprehendens consuetudinem illarum Ecclesiarum, quæ nolunt canonicare, ut loquitur, nisi Nobiles.

Peraldo consentire videtur Gregorius IX. in Cap. 37. De Præbendis & Dignitatibus. Cum enim auctoritate Apostolica Episcopus Portuensis tamquam Sedis Apostolicae Legatus contulisset jure devoluto Præbendam in Ecclesia Argentina cuidam Clerico, & Capitulum illum admittere nollet, allegans consuetudinem antiquam inviolabiliter observatam, juxta quam nullum nisi nobilem & liberum, & ab utroque parente illustrem, honestæ conversationis, ac eminentis scientiæ in suum consortium ha-

stenus admiserant; quaestione ad Sedem Apostolicam devoluta, respondit Pontifex Gregorius IX. Nos igitur attendentes, quod non generis, sed virtutum nobilitas, virtutemque honestas, Deo gratum faciunt, & idoneum servitorem, ad cuius regimen non multos secundum carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes: eò quod non est acceptio personarum apud ipsum, & vix ad culmina dignitatum (nedum ad Præbendas) viri eminentis scientiæ valeant reperiri, exceptiones hujusmodi non duximus admittendas.

II. Profecto, quin in electione & vocatione ad Ecclesiastica Ministeria vitæ merita, ac eruditio potius sint attendenda, quam familia profapia & nobilitas, nemo ambigere potest: ut propterea merito dicat Molanus loco citato, quod reprehendenda & reformanda sunt Collegia, in quibus postposito de pietate & eruditione examine, hoc solum diligentissimè discutitur; an nominatus sit satis nobilis, qui admittatur, an stemma ejus nusquam deficiat, an tot recensere possit proximos suos parentes aut Barones, aut Comites; an habeat omnia sua quarteria, ut loquuntur, integra, & similia, quæ nec recensere valeo, nec commemorari necesse est.

III. At verò ubi pietas ac eruditio non desunt, quin & ipsa generis nobilitas subinde considerari expedit queat, inficiari nullus potest. Certum enim atque experientia notorium est, quod nonnumquam Nobiles atque Illustrès Viri, dum de cætero pietate & eruditione sunt insignes, multa sua auctoritate in bonum Ecclesiae præstare possunt, quæ alii pari aut majori pietate ac eruditione conspicui præstare non possent.

IV. Tametsi ergo in electione ad munia Ecclesiastica generis nobilitas vel familia profapia nequaquam per se ac simpliciter sit attendenda; nihilominus cum respectu ad bonum Ecclesiae, sive in quantum ea conferre potest, ut Nobilis majori auctoritate Ecclesiae serviat, merito attenditur; poteritque interdum Nobilis Ignobili, licet non nihil doctiori & capaci, sine personarum acceptione præferri.

Hæc præ oculis habuisse creditur Pontifex, dum ad instantiam Philippi II. inter novem Graduatos in singulis Cathedralibus Ecclesiis noviter erectis tres Nobiles Graduatos esse voluit; non quosvis; sed nobiles ipsius Diocesis.

V. Quod enim ait Molanus, ad Ministerium Ecclesiae vocentur, & invitentur, hoc fit, ut non solum per eruditionem & pietatem, sed per nobilitatem quoque suam Ecclesiam Dei juvent. Cum enim Nobiles seculares gradum portant, & per suam potentiam possint Ecclesiae Dei, & viris Ecclesiasticis multum prodesse, valde expedit ex eorum familiis in Clero aliquos esse, ut eorum favor obsequium & reverentia erga Ecclesiam & Ecclesiasticos magis foveatur & conservetur. Imò dum in Clero sunt Nobiles, libenter Nobiles Viri & Illustrès Principes eò filios suos destinant, ut nobilitati stemmatis nobilitatem addant morum, animum liberalibus & honestis studiis excolant, & à teneris annis reverentiam Ecclesiastici Ordinis imbibant.

VI. Nobiles proinde Canonici semper meminerint sui officii, atque suæ vocationis esse, ut nobiles sæcularis res, apud quos propter carnis & sanguinis nobilitatem plerumque præ reliquis Canonici gratiores & majoris auctoritatis sunt, adhortentur & doceant, Deum & Ecclesiam ab iis requirere, ut veluti nutritii Ecclesiae Christi, primò & ante omnia teneantur honorem Dei, fidem Catholicam, pacem Christianorum, pietatem, & bonos mores, Ecclesiam, viros Ecclesiasticos, & Monachos, eorumque privilegia & immunitates. Et ut filios suos à teneris annis sic institui curent, ut simul cum pietate observantiam Sacerdotum & Cleri imbibant. Ex quo facile intelligitur, cur conveniat patrios nobiles exteris præferre, quod hi plus apud nobilitatem

Patris

Patris & Diocesis, quam exteri nobiles præstare possunt, sint.

VII. Neque Nobilitatem dumtaxat, sed & eruditionem desideraverit Pontifex, dum ad instantiam Philippi II. tres Præbendas sive Canonicatus in singulis noviter erectis Ecclesiis Cathedralibus Nobilibus Diocesis assignavit: id vel inde intelligitur, quod ultra Nobilitatem etiam gradum Doctoratus aut Licentiæ in Theologia aut Jure Canonico requisiverit; ut scilicet hoc publico Academico testimonio probarent se non tantum generis, sed & eruditionis nobi-

litate insignes & idoneos qui Ecclesiae operæ & consilio servire possint.

VIII. Ex hæcenus dictis quisque facile intelligit, quam solliciti esse debeant, quibus incumbit Gradus Academicos annuere, ne alii annuant, quam qui eruditionem aliasque animi dotes habent, quas Gradus ille Academicus seu publicum quoddam testimonium præfert.

Ut quid enim Gradus illi requiruntur, nisi ut per illos constet de eruditione & capacitate promovendi; sed de his alibi latius.

TITULUS XI.

De Dignitatibus Capitulum.

CAPUT I.

De Præposito.

- 1 Quales durante communi Canoniorum vita essent Præpositi.
- 2 Hodierni Præpositi ab antiquis in multis distincti.
- 3 Non omnium Præpositorum eadem jura & officia.
- 4 In his attendenda consuetudo, Statuta & fundatio.

In plerisque Ecclesiis Cathedralibus prima post Episcopalem dignitas, & in Collegiatis absolute prima est Præpositi.

Officium Præpositorum in Ecclesiis Canoniorum, cum inter Canonicos adhuc vigeret vita communis, describit Synodus Aquigranensis anno 816. cap. 139. Quamvis ait, omnes qui præsent, Præpositi rite dicantur, usus tamen obtinuit, eos vocari Præpositos, qui quandam Prioratus curam sub aliis Prælati gerunt. Hi tamen, qui juxta hunc morem præpositi vocantur, tales & tam strenui sunt constituti, qui & vitæ probabilis sint, & ea quæ sibi injuncta sunt, fideliter, humiliterque expleant; & pro eo quod aliis prælati sunt, nequaquam parvi pendeant canonica instituta; sed quanto plus implicantur in fratrum curis, tanto magis studeant cœlestibus obtemperare monitis. Debet igitur cunctæ congregationi esse utilis, & de ministerio commissio fideliter prodesse. Ea verò quæ fratribus dare debent, cum charitate tempore opportuno intemperanter præbeant, quatenus à Domino de fidei administratione gradum bonum acquirant. Erga hujusmodi verò delinquentes, & obedientiam sibi commissam bene administrantes, modus superiis comprehensus tenendus est.

II. Si quis attendat, quæ hæc Præpositi injunguntur, & incumbunt, facile apparebit, quantum moderni Præpositi, quos in Belgio habemus, ab illis, quos describit Synodus, discrepent.

Tunc Præpositura erat officium, nunc non solum est beneficium, sed primaria dignitas. Tunc cura & regimen Canoniorum & Clericorum in communi viventium præposito incumberebat; nunc pauci sunt, quibus cura animarum, aut aliquod spirituale regimen incumbit. Tunc Præpositi in congregatione & pervigili cura Fratrum assidue erant; hodie verò plures credunt se ab omni residentia personali exemptos: Imò in Diocesi Leodiensi omnes opulentiores Collegiarum Ecclesiarum Præpositura possidentur à Canonici Sancti Lamberti. Uno verbo, qui rectè notat Molanus lib. 2. De Canonici cap. 4. Si nostros præpositos ad præfatos illos conferamus, nihil ferè aliud videbitur referre, quam umbram quandam præposituræ, quæ adhuc relucet in prima sessione, in opinis fructibus, qui tamen in nonnullis locis juxta Dei iudicium propter intermissam residentiam multum attenuati sunt: rursus

Van Espen Jur. Eccl. P. I.

CAPUT II.

De Decano.

- 1 Decanorum origo.
- 2 Cura animarum à Præpositis translata in Decanos.
- 3 Hodiernus est in singulis Capitulis Decanus, cui tantum Cleri cura incumbit.
- 4 Solet esse Caput & Præses Capituli.
- 5 Jurisdictio Decani maxime à consuetudine dependet.
- 6 Jurisdictio interdum est non apud Decanum, sed apud Capitulum. Interdum apud utrumque.
- 7 Jure communi non habet jurisdictionem contentiosam, sed dumtaxat correctionalem.

F 2

8.7u.

- 8 *Jurisdictionis correctionalis competet Capitulo vel Decano, etiam in Capitulo non exemplo.*
 9 *Etiam Capitulum hanc aliquando exercet in Decano.*
 10 *Potest Decanus & Capitulum Canonicos ob indecentiam in vestibus, aut irreverentiam in Ecclesia suspendere ab introitu Chori & Capituli.*
 11 *Officialis Episcopi non potest suspendere resolutiones Capitulares in materia disciplina.*
 12 *Quam grave sit Decanorum officium.*

I. Notissimum est ex historiis & Regulis Patrum, omnium fuisse in plerisque Monachorum Congregationibus, præter Abbatem & Præpositum, varios Decanos, qui singuli sub sua cura habebant decem Monachos. Si major fuerit congregatio, ait S. Benedictus in Regula cap. 2. eligantur de ipsis Fratres boni testimonii, & Sanctæ Conuersationis, & constituantur Decani, qui solitudinem gerant super Decanias suas.

Cum verò Canonici in communi viventem disciplinam Monasticam in plurimis æmulerentur, etiam ad imitationem Monachorum Decanos constituerunt; quare & in plerisque Hispaniarum Ecclesiis Cathedralibus Decani olim vocabantur Priores teste Innocentio III. Lib. 1. Epist. 77. Quia Altoricentis Ecclesia dignitatem Decanatus à longis retro temporibus nescit habuisse, licet qui eo fungebatur honore promoveretur aliquando & destitueretur pro Episcopi & Capituli voluntate, nec Decani, sed Prioris nomine vocaretur, secundum consuetudinem ferè omnium Ecclesiarum Hispaniæ, quæ tunc temporis ibi vigebat, &c.

II. Cum verò Præpositi ob curam temporalium, curam spiritualem negligenter, sæpiusque à Congregatione ob eam temporalium curam abesse deberent, tandem interior cura ad Decanos translata fuit: ipsique Decani in plerisque Ecclesiis capita Congregationis, saltem quoad disciplinam directionem constituti fuerunt.

III. Et quidem in plerisque tam Cathedralibus quam Collegiatis Ecclesiis Decani solent totius Capituli & Cleri Capituli subiecti curam spiritualem habere; usque receptum est, ut quantumcumque numerosum sit Canonicorum collegium, unicuique habeat Decanum, qui tam Canonicorum, quam inferioris Ecclesiæ suæ Cleri curam habeat.

Unde Synodus Colonienfis anno 1260. firmiter præcipiendo Decanis injungit, Totâ eos ad id niti solertiâ, quod in Ecclesiis disciplinam observantia vigeat honestatis: & sicubi enervata extiterit, ipsam studeant reformare, commissam sibi excellentium correptionis potestatem & regimen sui officii taliter exequendo, ut boni Dispensatores in Domo Domini super ejus familiaritatem digna possint commendatione censerent. Et hoc quidem se facere arbitrentur, si ipsi disciplinam appareant in seipsis, & per bonum exemplum confortent & animent suos Confratres.

Similiter sæculo præterito altera Synodus Colonienfis iisdem vestigiis insistens, monet utrobique: Decanis curam sit, ut clericos suos ad observationem piorum rituum provocent ac reducant; ut ad agendam vitam Clericis dignam perpetuo cohortentur ac impellant, ut à negotiis, à tumultibus mundanis revocent, ne magis sæculi quam Christi milites videantur, ut commessationibus, ebrietatibus, ac omni luxu interdiciant, denique ut suo officio satisfacere compellant, An. 1536. part. 3. cap. 2.

Et sane de jure communi Decano incumbere curam animarum ostendit Concilium Lateranense in Cap. 7. de elect. statuens, Ut Decanatum, Archidiaconatum & alia quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec Parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui jam 25. annis annuam attigerit, & qui scientia & moribus existat commendandus.

IV. Nec tantum Pastor est, seu curam animarum sustinet totius Cleri, sed & in plerisque Ecclesiis caput est totius

Collegii; ipseque in Congregatione Capitulari præfideri proponere & ex resolutione Canonicorum concludere solet; tametsi etiam in choro & publicis confessionibus Præpositus ipsum Decanum præcedat.

V. Quoad jurisdictionem Decani in Canonicos aliosque Ecclesiæ suæ Clericos plus ex consuetudine & privilegio, quam ex jure dependet; uti monet Glossographus ad Sanctionem pragmaticam Tu. Quomodo divinum Officium sic celebrandum Verbo Decanus, ibidem tamen monens, Ubi Decanus esset Prælatus Ecclesiæ Collegiæ, de jure haberet jurisdictionem ordinariam in illis de Collegio, Additque, quod quasi in omnibus Ecclesiis Regni Galliæ hæc obtinet consuetudo, quod Decani jurisdictionem habent in Capitulum, & in aliquam partem Cleri.

VI. Hoc Glossographi dictum commodè intelligendum est, etiam quoad Ecclesiæ Regni Galliæ; cum certum sit, non tantum in Belgio, sed & in Gallia plures esse Ecclesias, in quibus de consuetudine jurisdictionis est non apud solum Decanum, tametsi caput Capituli, sed vel apud solum Capitulum, vel apud Capitulum & Decanum conjunctum.

Et quidem immediatè post allegata Glossographi verba, observandum subjicit ejus notator Philippus Probus, quod Decanus Parisiensis jurisdictionem non habet in Capitulum, nec in Clerum, sed ipse & Capitulum eam simul in singulos Ecclesiæ Ministros, etiam Canonicos Præbendatos, etiam Dignitates in ea obtinentes habent, quam per Officialem capitulariter institutum exercent.

Inter statuta quoque Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis Tit. De Officio Decani, legitur, quod Decano quidem onus curæ animarum in omnes Capitulares & Capitulum subditos incumbat, sed tamen quod, Propria auctoritate graviores penas nemini infliget, sed monitum & non resistentem Capitulum deferet, porro puniendum.

VII. Verum si Capitulum, si Decano, si utriusque conjunctam jurisdictionis competat, ea tamen de jure communi non contentiosa, sed correctoria, seu correctionalis, ut loquitur Canonista, esse intelligitur: unde cum dicitur in Cap. 6. de sententia excommunicationis in VI. quod Decanus usus fuerit gladio spirituali excommunicationis, idque probaretur ab Innocentio IV. observat Glossa, Quod Decanus iste de consuetudine vel privilegio haberet jurisdictionem ordinariam, vel saltem potestatem fulminandi censuram.

Itaque nisi consuetudo, aut alius specialis titulus Decano aut Capitulo jurisdictionem contentiosam tribuerit, sola correctoria competit; reliqua apud Episcopum ex jure communi remanente.

Hinc cum Capitulum Nivornense quemdam suum subditum carceri mancipasset; isque ab illo capituli Decreto tamquam ab abusu, juxta mores Regni Galliæ, ad Senatum Regium provocasset; auctoritate Senatus, Decretum capituli cassatum fuit; declaratumque, in carcerem Canonicos spectare ad Episcopum, non ad Capitulum. Meardus in suis Arrestis lib. 1. tit. 3. arrest. 3.

VIII. At ea, quæ correctionem paternam & disciplinam spectant, ad Capitulum vel Decanum, etiam in Capitulis non exemptis, pertinere vulgò receptum est. Quapropter, si quis Canonicus aliunde de Clero Capitulum subiectus, aliquam in divino Officio, aut Capitulo vel alibi irreverentiam, aut insolentiam committat, Capitulum vel Decanus, pro Ecclesiarum diversâ consuetudine vel statuto poterit eam punire non contentiosè, sed correctionaliter; idque per modum jurisdictionis, quam Canonista dicunt correctionalem; v. g. privando similes irreverentes aut insolentes suis distributionibus, vel ingressu chori vel Capituli ad certum tempus; vel quod in inferioribus sedilibus aliquanto tempore consistere debebunt, aliave simili leviori poenâ mulctando; quæ potius

CAPUT III.

De Cantore.

- 1 Cantor olim dictus Primicerius.
- 2 Officium Cantoris.
- 3 Cantor dictus chori Episcopus.
- 4 Cantor irreverentes & defectuosos in Divino Officio punire potest.
- 5 Cur baculum in præcipuis Festivitatibus ferat.
- 6 Cantor in plerisque Ecclesiis inter Dignitates computatur.
- 7 Obligationes Cantoris merito expenduntur.

Inter omnes penè Canonitas convenit, Primicerium, de quo est titulus Decretalium, esse eundem quem hodie in plerisque Ecclesiis Canonicorum dicitur Cantorem; dictumque credunt Primicerium; eo quod in Ecclesiis præfectus sit Canonicis & aliis Clericis atque Cantoribus instructendis & docendis ad cantum in choro destinatus; atque a velut primus in choro, & primus in cantu. Primicerius enim dicitur est: quod primus in ordine cere seu scripturæ (ait Vallensis ad Titulum De Officio Primicerii) in omnibus ordinibus dignior; sic enim sæpius legitur in Novella 8. Notariorum Primicerium, id est, primum, seu in Matricula Notariorum primò scriptum; & in codice Lib. 12. Primicerium mensorum. Et Augustinus vocat Stephanum, Primicerium Martyrum. Is verò qui Primicerium in quocumque sequebatur, Secundicerius & sic deinceps dicebatur. Hæc ille.

II. Cantoris autem, qui & interdum dicitur Præcantor, officium est, choro præesse, ut ibidem Canonicos reliquosque clericos & Ministros ad divina dirigat officia canendi; quod divinæ laudis in communi choro decantandum est, per eum præordinetur, & sollicitè præfallendi ordinem, ac orandi modum committat, silentiumque indicat; rursus cohibeat & colloquia; ac curet, ne quis in præfallendo nimium festinet, vel tardet; nec versus alter ante alterius finem incipiat. Uno verbo, Cantoris oneri incumbit, ut divina officia graviter & ordinate Alissimo persolvantur; ut juxta Apostolum omnia secundum ordinem fiant in Ecclesia: Ita post Barbosam De Canonice c. 9. aliosque canonicas tradit Farmosinus in commentario ad Titulum De Officio Primicerii quæst. 1. num. 19.

III. Mirum ergo videri non debet, quod in Synodis Colonienfis anni 1260. & anni 1536. cantores dicantur Chori Episcopi, sive latine chori inspectores.

IV. Et inter statuta Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis sub titulo De Officio Cantoris habetur, chororum reverenter diriget, discursiones, confabulationes, cachinnationes, omnesque alias insolentias & irreverentias compescet, curamque geret, ut omnes chori leges & statuta bene observentur; & maximè ut totum divinum Officium tractum, distinctè, articulatum ac reverenter peragatur; & quos in prædictis delinquere videbit, semel monitos propria auctoritate corripiet, & distributionibus privabit. Tradit quoque Rhenatus Choppin Lib. 1. De Polit. Eccles. cap. 3. nu. 10. ex Glossa Pragmatica, quod in plerisque Ecclesiis sit Cantor Præses seu Præful chori dictus, aut chori Director, cum sacra potestate Juridica in Sacrificulos templi, vel Canonicos quidem & alios Ecclesiastica præstantes Dignitate.

V. In signum hujus potestatis receptum videtur in quibusdam Ecclesiis, ut cantor utatur in præcipuis Festivitatibus baculo argenteo, quem baculum Cantoralem vocant; ejus usus præscribitur in ritibus Ecclesiæ Lugdunensis, quos cum observationibus nuper evulgavit Antonius Bellot Lugdunensis Decanus, qui ibidem pag. 739. ex Honorio Augustodunensi mysticam illius baculi significationem refert.

potius ad correctionem quam ad punitionem tendere videtur; argumento Cap. 13. De Officio Ordin. ubi notat Panoritanus, quod quilibet Prælatus habens subditos potest, sit & debeat procedere ad correctionem excessuum & reformationem morum.

IX. Conformer ad hanc decisionem, Capitulum Carnotense privaverat Decanum suum distributionibus suis per octiduum, eo quod in pleno Capitulo unum de canonicis contumeliosè tractasset; cumque ab hac Capituli resolutione Decanus tamquam ab abusu appellasset ad Parlamentum Parisiense, resolutio Capituli confirmata fuit. Fevret. Tract. De abusu lib. 4. cap. 4. num. 3.

X. Similiter quidam Canonici Ecclesiæ collegiæ Divæ Virginis Baumenfis, ob indecentiam in capillis & vestitu, necnon irreverentiam commissam erga Decanum, per deliberationem Capitularem condemnati fuere, petere veniam à Decano & capitulo, & abstinere ab introitu chori per quindenam, & ab introitu capituli per mensem: A qua deliberatione appellantes dicti Canonici ad Officialem Augustodunensem, obtinuerunt ab eodem Officiali interdictum contra capitulum procedendi ad executionem istius deliberationis: Quod cum Syndico capituli esset intimatum, mox à dicto Decreto Officialis interjeit appellationem tamquam ab abusu: Atque per sententiam Parlamenti Regii 31. Maji 1633. declaratum fuit, nulliter & abusive per Officialem fuisse decretum; annullavitque omne quod in vim illius Interdicti actum erat, condemnatis Canonicis in expensas, & multam 20. librarum: ac jus dicendo super principali, dixit, deliberationem esse exequendam in omnibus suis punctis.

Per hanc sententiam, ait Frevret, loco citato, Senatus Regius duo puncta decidit. Primum, quod Capitulum potuerit uti hac moderata & levi correctione pro conservatione discipline, juxta id quod dicitur in L. Unica Cod. De emendat. propinq. lib. 9. Jure patrio auctoritas corrigat propinqua, qui juvenis erratum, & privata animadvertione compescat. Quod si atrocitas facti jus domesticæ emendationis excedat, placet enormis delicti reos dedi Judicium notationi.

XI. Akerum, quod Officialis non potuerit dare Decretum suspensivum in materia correctionis & discipline. Plerumque similes sententias, quibus declaratum fuit, Capitulis & Decanis pro varietate Ecclesiarum competere jurisdictionem correctionalem in materia discipline, vide apud Tornet. Litt. C. cap. 49. § 3. & 54.

XII. Cæterum non tantum quoad jurisdictionem, sed etiam quoad alia jura Decanorum potissimum inspicienda sunt antiqua singularum Ecclesiarum statuta & consuetudines; & si inspiciantur Ecclesiarum Belgii consuetudines & statuta, in plerisque verissimum esse reperietur, quod monet Molanus lib. 2. De Canonice cap. 6. Multa sanè opus est prudentiâ, auctoritate, eruditione & morum probitate, ut Decanus Dignitatem suam tueatur. Pastor est omnium Canonicorum & inferioris Cleri, qui pro his omnibus & singulis redditurus est Deo rationem. Nec tantum Pastor est, sed caput collegii, qui, sicut bonus Paterfamilias, domui suæ præesse debet. Est enim ei familiæ Ecclesiasticæ regimen commissum, ut honorem Domûs Dei tueatur, ut disciplinam conserve in clero, ut in rebus spiritualibus & temporalibus conservandis ministerium sibi creditum adimpleat, nec tam præesse, quam omnibus & singulis prodesse velit. Quam arduum autem sit hoc munus, non ignorant multi viri boni, qui in Collegiis Canonicorum sincerè Deo placere cupiunt. Hæc Molanus; quæ utinam attenderent, qui ad Decanatum tamquam ad Dignitatem & Officium sine onere currunt.